

Kirchliches Verordnungs-Blatt

für die
Lavanter Diözese.

Inhalt. 51. Constitutio Apostolica circa novam situationem Insulae Cubanae. — 52. Decretum Constantien. et Abrincen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae Postel Institutricis Sororum scholarum christianarum a Misericordia super dubio. — 53. Indultum celebrandi missam votivam SS. Cordis Iesu prima feria VI. cuiusque mensis. — 54. Indictio Indulgentiae plenariae a Sanctissimo Patre Leone Papa XIII. occasione celebrationis tertiae Synodi dioecesanae Lavantinae gratiosissime concessae. — 55. Decretum S. R. C. de Litanis Lauretanis adiciendo praeconio „Mater boni consilii, ora pro nobis.“ — 56. Erlaß des Ministers für

Kultus und Unterricht vom 8. April 1903, bezüglich der Erlangung des theologischen Doktorats. — 57. XXIV. Jahresbericht der „Österreichischen Gesellschaft vom Roten Kreuze“. — 58. Designatio cooperatorum pro quarta Synodo dioecesana. — 59. Erinnerung an die Bestimmungen betreffs der Reichsjurisdiktion. — 60. Ausschreibung von Stiftsplätzen im F. B. Knabenseminar Maximilianum-Viktorinum für das Schuljahr 1903/04. — 61. „Österreichischer Zentralanzeiger für das öffentliche Lieferungsweesen.“ — 62. Pozivi za pomoč pogorelcem v Slovenjem-gradu in njihov uspeh. — 63. Diözesan-Nachrichten.

51.

Constitutio Apostolica circa novam situationem Insulae Cubanae.

LEO PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam. Actum praeclare a divina Providentia cum Cubana insula est, quae regio praedives maximeque frugifera, quemadmodum immortalis viro Christophoro Columbo patuit e primis, ita maturius lumini christianae veritatis accessit. Quo Dei beneficio celerrime per eas gentes diffuso, Leo X, Decessor Noster, minime dubitavit parochialem ecclesiam S. Iacobi de Cuba in cathedrae episcopalis honorem provehere. Aucto fidelium numero, eadem provinciae caput, seu metropolitana declarata est a Pio VII P. M., die XXIV mensis Septembris anno MDCCCIII, subiecta illi sede Avansensi, quam eiusdem nominis Decessor Pius VI instituerat. Haec vero Pontificum romanorum haud intermissa sollicitudo ab iisdemque permissum Hispaniae regibus munus tuendi tam felices insulas, rei catholicae apud Cubanos proximosque incolas talia in dies incrementa attulerunt, qualia vix a confirmatis diuturna humanitate ac religione gentibus expectari possent.

Nuperrime conversus bello reipublicae status in vices quoque religionis influxit. His de causis, et sublato hispaniensium regum dominio in Cubanam insulam, plane intelleximus Nostri muneris esse, pro ratione temporis eorum regionum bono consulere. Itaque Ven. Fratrem Placidum Ludovicum Chapelle, Archiepiscopum Novae Aureliae, illuc misimus cum munere Delegati Nostri Apostolici extraordinarii, qui, rebus diligenter inspectis, quae maxime opus essent, de iis ad Nos accurate referret. Omnibus inde mature perpensis, maximeque animadverso Cubanam insulam inter ceterasque Americae latinae gentes affinitates

esse quasdam mutuasque similitudines, idcirco edito pridie Nonas Septembris anni MCMI decreto providimus, ut Cubana Insula iisdem legibus contineretur, quae a plenario Concilio Americae latinae latae fuerant, Romae habito anno MDCCCXCIX.

Neque tamen per haec novis necessitatibus occurrisset satis habentes, Apostolicam sollicitudinem ad consilia convertimus rei catholicae in ea regione ordinandae loco aptius ac tempori. Quamobrem, auditis sententiis nonnullorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationis extraordinariis negotiis praepositae, quae religioni tuendae, provehendae in insula Cubana expedire in Domino visa sunt, per hanc Constitutionem supremo Nostro iudicio pronunciamus.

Ac primum compertum habentes Cubae et Avanae fines tam late protendi, auctisque commerciis sic in dies catholicorum numero affluere, ut utriusque episcopo eorum lustratio sit perdifficilis, multiplicandi per eos tractus antistites consilium cepimus. Itaque decernimus, ut Cubanae et Avansensi dioecesibus addantur, *ex ipsis distrahendae*, sedes Pinar de Rio et Cienfuegos. Harum priori, ad quam tota pertinebit eius nominis regio, fines constituimus ad septemtriones, mexicanum fretum; ad ortum, Avanam provinciam; ad meridiem, aequor antillarum; ad solem occidentem, Iucatan fretum. Dioeceseos autem Cienfuegos, iis definitae limitibus quibus provincia civilis S. Clarae continetur, hi sunt fines: ad septemtriones, fretum Bakamae vetus; ad ortum, provincia Portus Principis; ad meridiem, aequor Antillarum; ad occasum, provincia Matanzas.

Princeps Cubanae insulae sedes eadem esto quae antea, id est S. Iacobi, cui sedi erunt obnoxiae, seu suffraganae, praeter iam institutam, quam diximus, S. Christophori de Avana, etiam novissimae duae, altera Cienfuegos, altera Pinar de Rio. Portoricensem enim dioecesim a vinculo subiectionis metropolitanae ecclesiae S. Iacobi de Cuba solutam, atque interim Apostolicae Sedi immediate subiectam declaramus. Suis autem iuribus, privilegiis, officiis metropolitanus antistes fruetur, tum quae communi sacrorum Canonum et apostolicarum Constitutionum vi obtinent, tum quae a plenario Americae latinae Concilio descripta sunt. Quibus in exercendis in iisque omnibus quae pastoralis ministerii sunt, pro suo quisque munere, quum metropolitanus antistes tum ceteri episcopi illud maxime curent, ut mutua inter ipsos caritas vigeat, mens omnibus una sit, una in commune bonum conspiratio animorum atque voluntas.

Ecclesia S. Iacobi de Cuba itemque S. Christophori de Avana sua Canonicorum collegia, seu capitula, servari iubemus, quum propter sacri cultus dignitatem, tum adiuvandi episcopi causa ex praescripto SS. Canonum. Quod si res angustae non sinant eundem in eo coetu haberi numerum qui antea, sic erunt partiendi redditus, ut in utroque collegio, post constitutos in dignitate, suppetat unde solvatur pro canonicis decem.

Suis item Capitulis, ubi primum licuerit, ornari de novo constitutas dioeceses Pinar de Rio et Cienfuegos, atque utrumque consilium saltem canonicis decem constare volumus. Interim vero, Collegiis huiusmodi nondum canonice institutis, episcopi sibi deligent ex utroque clero consiliarios viros, qui pietate, doctrina et rerum gerendarum usu prae ceteris commendentur. Hi sacra obeunti solemniori ritu episcopo adstabunt.

In beneficiis ecclesiasticis conferendis vel Canonicis vel aliis sacri ordinis viris servantur leges plenarii Concilii latini Americani et authenticae earum declarationes editae a S. Congregatione Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praeposita; quibus legibus haud minus ac SS. Canonum decretis Canonici pareant in suis muneribus obeundis.

Quandoquidem vero quae prius erant emolumenta pecuniae aut omnino desierint aut fuerint admodum diminuta, optime sacri cultus decori, cleri necessitatibus aliisque catholicis rebus dioecesium fuerit consultum, si ad SS. Canonum normam et ad memorati plenarii Concilii Americani praescripta provideatur et Ius cathedrae restituatur; cui quae certa pecuniae vis assignanda sit, in proximo Concilio provinciali aestimabitur.

Quae de hierarchia ordinanda, quae de iuribus, privilegiis, honoribus eorum, qui sunt prae ceteris constituti, Nostris hisce Litteris decernimus, ea quidem et ad optimum christiani populi regimen et ad cultus divini amplitudinem opportuna sunt ac prope necessaria; sunt tamen

externa quodammodo. Illud autem interest maxime, ut quibus et fidelis cura gregis et ipsius domus Dei vigilantia commissa est „idonei comprobentur atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint expectari“.¹ — Nec pietate solum ac virtutibus Ecclesiae viros eminere necesse est, verum etiam tum sacra tum profana doctrina, conversis hoc maxime tempore ad abditissima quaeque hominum studiis. In hoc igitur episcopi collocanda peculiaris cura est, sacerdotes ut efforment gravissimo pae muneris, quorum operâ iuvari maxime christiana plebs possit, tot insidiis circumventa, tot obnoxia periculis. — E sacerdotali autem ordine sic instituto et comparato aequum est ad maiora negotia eos vocari: „qui, in clericali ordine versati, doctrina ad suum munus exequendum necessaria ac morum integritate commendentur“²; ad regimen vero animarum, quos aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, magis idoneos Episcopi iudicaverint³. — Ceterum sacri ordinis viri, in quovis versentur officio, studiis partium civilium omnino abstineant, iuxta illud Apostoli: „nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus“⁴; idque praesertim ne religio sancta, quae cunctis rebus humanis supereminere debet et omnium civium animos mutuae caritatis et benevolentiae vinculo coniungere, officio suo deesse videatur, eiusque salutare ministerium suspectum habeatur. — Etiam amotis huiusmodi concertationibus, patet sane campus catholicae rei iuvandae, potissimum exemplo mutuae concordiae, qua invidia omni et aemulatione depulsa, sacerdotes omnis ordinis „caritate fraternitatis invicem diligentes“, possint in unum Christi corpus coalescere, prout habet Apostolus: „multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra“⁵. — Cui retinendae concordiae non minus ac pietati fovendae, a qua interdum externis tot rebus evagatus animus potest abduci, quum usui maximo sint piae illae exercitationes, quibus rerum divinarum contemplationi vacare licet impensius, curent antistites ut, statis anni diebus, Ecclesiae viri congregentur ad sanctissimae Religionis documenta et vitae sacerdotalis et officia secum reputanda. Ea commentatione, cui consilia succedent vitae sanctius degendae, atque usu sacramentorum frequenti roborentur, confirmantur. — Denique ut sacrae vigeat disciplinae cultus, habeantur coetus, in quibus quaestiones de moribus, de sacrisque ceremoniis agitentur.

Magnum profecto negotium institutio sacri ordinis alumnorum, cuius rei spes ferme omnis est in Seminariis

¹ Conc. Trid., De Ref. Sess. 23, C. XIV.

² Conc. Trid., De Ref. Sess. 24, C. XII.

³ Conc. Trid., id. C. XVIII.

⁴ II Tim. II, 4.

⁵ Ad Rom XII, 5.

reposita. In eiusmodi ergo domicilia excitanda incumbant episcopi, de iisque gerant sollicitam curam, caventes potissimum ne alii admittantur nisi „quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros“.¹ Qua super re plura sunt a memorato Concilio plenario Americae latinae declarata sapienter et opportunè sancita. Ad spiritualem autem utilitatem totius Cubanae insulae, enixe commendamus Seminarium Pio-Latinum-Americanum, in quo multi et praeclari evangelici praecones et animarum rectores, in Urbe totius christiani orbis principe et sub ipsis Romanorum Pontificum oculis, educati fuerunt, plurimique futurum illorum imitatores educantur. Quae volumus, quemadmodum a ceteris Americae dioecesisibus, ita etiam ab unaquaque Cubanae insulae saltem binos adolescentes alendos in eo Collegio, non intermissa vice, collocari.

Sedulam quoque sibi vindicent curam scholae adolescentium e populo, praesertim quo tempore imperitorum animi per tot inductos errores, per tot obiecta irritamenta vitiorum facile corrumpuntur. Agitur enim de hominum societate futura tali, qualis ab initio processerit, eoque maturius eripienda periculo, quo citius ac paene ab incubulis impiorum fraudibus circumvenitur. Ex quo nemo est quin intelligat, quanti momenti sit ludos aperire quamplures, iisdem advigilare, in fidem, in mores docentium inspicere. E re autem erit scholas illas maiores, quibus magistri formantur, utriusque sexui constituere.

Religiosas Familias, quae in Cubana versantur insula, tum bene de Ecclesia deque ipsa civili societate meritas, vix est ut moneamus, ne a pristina laude descendant; quibus Deo sese votis obtrinxerunt, in iis constant; claustrum legem ne frangant; audientes dicto sint praepositis; cum reliquo clero coniunctis viribus conspirent „in aedificationem corporis Christi“². Quae vero ad ipsos fere pertinent ministeria, vulgo „missiones“, latissimum per haec patet campus fidei adservandae, tuendae, morumque christianae plebis continendorum. Verum, quo uberius inde fructus percipiatur, necesse est in frequentioribus locis religiosas constitui domos, saltem virorum octo, quorum sit munus, quum in urbibus tum in vicis, habere conciones ad populum, ipsumque docere.

Ut actio concors episcoporum in Cubana insula valeat iis, quae communiter opus sint, occurrere satis atque prospicere, maximae erunt utilitatis episcopales coetus, seu Consilia, in quibus de dioecesium necessitatibus deliberetur. Huc spectant, quae per S. R. E. Cardinalem a publicis negotiis declaranda curavimus datis Litteris Calendis Maii an. MCM.

Quae praesentibus Litteris constituimus, quae monuimus, procul dubio e sententia procedent suosque parient fructus, si sacri ordinis viri summo studio curaverint suo ministerio sese dignos exhibere, confirmantes exemplo doctrinam, vere „facti forma gregis ex animo“¹. Oportet igitur iisdem sic vitam moresque conforment, ut habitu, incessu omnique re nihil ipsis redoleant nisi „bonum odorem Christi“. Itaque, ad ecclesiasticam disciplinam roborandam, praecipimus, ubi primum nova dioecesium circumscriptio fuerit promulgata, institutaeque sint novae sedes suisque pastoribus assignatae, ut Ven. Frater Noster Placidus Lodovicus Chapelle, Archiepiscopus Novae Aureliae, Delegatus Apostolicus Cubanae insulae, cui executionem committimus praesentium Litterarum, convocet Provinciale Consilium, eique praesideat, cuius Acta ad hanc Apostolicam Sedem iuxta canonicas praescriptiones mittat.

Quod reliquum est, optima spes tenet, eum quem vehementer cupimus exitum res habituras, et quae Nostris hisce decreta sunt Litteris salutare fructus datura brevi. Hac exspectatione erecti, ad Cubanum populum extrema verba convertimus, eum enixe adhortantes ut in fide maiorum perstent invicti, servent unitatem in vinculo pacis, pro suae conditionis ratione, id est filiorum dicto audientium patribus, operam suam sacris Pastoribus praesto sint, Evangelii praeceptis obtemperent, reipublicae praepositos debito honore prosequantur, „impleant gaudium Nostrum eadem caritatem habentes unanimes, id ipsum sentientes“².

Praesentes vero Litteras et quaecumque in ipsis continentur, nullo umquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, suosque effectus in omnibus obtinere atque ab omnibus cuiusvis gradus et dignitatis inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus, non obstantibus Apostolicis atque in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, necnon veterum Sedum Cubanae Insulae et Missionum inibi constitutarum et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus ac privilegiis, iuramento etiam, confirmatione apostolica aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque, peculiari etiam mentione dignis; quibus omnibus quatenus supra dictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declaramus.

Volumus etiam et harum Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem

¹ Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 18 de Ref.

² Ad Ephes. IV, 12.

¹ I Petr. V, 3.

² II Philip. II, 2.

habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipo-

tentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo tertio, die XX. Februarii, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

L. † S.

Aloysius Card. Macchi.

52.

Decretum Constantien. et Abrincen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Magdalenaë Postel Institutricis Sororum scholarum christianarum a Misericordia super dubio:

An contest de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et Proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Multis dudum tentantibus catholicae religionis fundamenta divellere, atque hominum genus, obiecta specie sive honestatis sive sapientiae transversum agere, providentissimus Deus opposuit identidem verae doctrinae ac sanctitatis exempla, confirmans utramque illam sententiam „qui nititur mendaciis hic pascit ventos (Prov. X, 4)“; contra vero: „labia iusti erudiunt plurimos (Prov. X 21)“. Quod cum saepe aliis in locis tum maxime in Gallia contigit quo tempore ab iis qui se philosophos iactabant, per simulationem intelligentiae, incredibilis malitia inducta est atque perversitas. Horum fraude circumventa praesertim juvenilis aetas institutoribus eguit quorum disciplinae summa esset: „initium Sapientiae timor Domini“. Iam ut puerorum institutioni divinitus consultum est per scholarum Christianarum patrem S. Ioannem Baptistam de la Salle, ita puellis mater et magistra data est Ven. Dei Famula MARIA MAGDALENA POSTEL, institutrix et ipsa novae Familiae cui titulus: „Sorores Scholarum Christianarum a Misericordia“.

Barflorei in Gallia quod oppidum est Constantiensis Dioecesis IV Cal. Decembres anno MDCCLVI, honestis ac pientissimis parentibus edita in lucem est Ven. Dei Serva, inditis nominibus Iulia, Francisca, Catharina, quibus post nuncupata vota religionis illa suffecit „Maria Magdalena“ innocentiae ac poenitentiae connubium conciliante caritate. A vitae primordiis divina gratia praeveniente talis extitit ut maturae fastigia sanctitatis attigerit. Nondum enim septimum annum aetatis egressae aptari poterant Apostoli verba, „conversatio nostra in caelis est“. Iam tum sui afflictae sollicita poterat regii vatis usurpare verba: „castigatio mea in matutinis“. A peccato fugiens „tamquam a facie colubri“, caelo tonante, gaudio gestiebat, spem fovens eo terrore percussos errantes ad meliorem frugem redi-

turos. Eadem duellum arrepta cruce, cum orantium puerorum manipulo deprecata est. Quasi uni sibi dictum putans: „frange esurienti panem tuum . . . cum videris nudum operi eum“ ad id caritatis processit, ut et saepe suas exuerit vestes et omni pene cibo abstinerit. Apud virgines Benedictinas Valloniis degentes collocata ut institueretur, tam sancte se gessit, ut *Filia Dei* passim appellaretur. His virtutibus, in primisque sedulo studio edocendorum rudium, mature significavit cui potissime ministerio esset a divina Providentia destinata.

Anno vitae suae ferme XVIII ad paternum oppidum reversa puellis ludum aperuit, praesertim egenis, eas enuntriens et „quasi aquila provocans ad volandum pullos suos“. Inter haec, Europa vasto illo flagrare coepit incendio, quo subversis humanae societatis ordinibus, legibus, regnis, direpta templa sunt, expilatae aedes, foedata omnia rapinis, ludibrio, sanguine. Mediae procellae impavida virgo se obiecit; sacerdotes in excidium quaesitos, extorres, hospitio recepit; victum iisdem et locum sacris peragendis cum sui capitis periculo suppeditavit; naviculae ipsis eripiendis ut praesto essent, effecit. Urgente vero metu, ne sancta mysteria violarentur, eius puris manibus credita pyxis est Eucharistiae asservandae, et cetera sacrorum suppellex. Sic fere per decennium quo caecus ille perstitit furor, mulier ista fortis „de longe portans panem suum“ Apostolico plane munere functa est, iure gratulata quod par sibi, quae Deiparae, fortuna contigisset, gestandi Iesum in ulnis.

Quum tempestas illa resedit, Caesaroburgum se contulit, ibique pauperum filiarum a misericordia fundamenta iecit, cui instituto propositum esset adolescentiam optimis moribus imbuere, utilissimis erudire disciplinis, ut inde pia matrefamilias prodirent atque ita christiana posset restaurari societas. Ac fuit ille quidem initio „vere pusillus grex“ coalescens sororibus tribus, duce Ven. MARIA MAGDALENA; nec ante annum a sui ortu tricesimum per sexcentas aerumnas, per famem, per rerum omnium inopiam, mutatis crebro domiciliis, quasi deturbatum api-

arium, nulla suppetente mundi fiducia, tandem aliquando succrevit; ex eoque tempore sic est progressus ut per Ven. Dei Servam non modo Dominicus ager auctus fuerit nova Sororum Familia in primis numero et virtute florente, sed arti quoque ac religionis decori consultum per instauratum ingens illud aedificium quod olim Abbatia SS. Salvatoris le Vicomte appellabatur.

Virtutibus omne genus ditatae virgini, quae, per diuturnum vitae cursum a summa animi puritate ne transversum quidem unguem discedens ad perfectionis fastigium divinitus excitata omnibus visa est, eidemque de Ecclesia ac de civili societate tam benemeritae per integri ferme saeculi spatium, nihil iam reliquum erat nisi ut requiesceret tandem a laboribus suis exciperetque vocem invitantis ad caelum: „*Veni sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus praeparavit*“. Itaque die XVI mensis Iulii, anno MDCCCXLVI, quem diem postremum vitae suae fore praenuntiaverat existentibus Sororibus ad numerum CLIX, qua hora Christus emisit spiritum, et ipsa candidae instar columbae efflavit animam placidissime.

Eius fama sanctitatis post obitum personante adhuc et succrescente quotidie, eademque pluribus confirmata signis, penes Constantiensem Curiam testimonia collecta sunt et Processus ordinaria auctoritate institutus, ceterisque iure confectus Sanctissimus D. N. LEO XIII Commissionem introductionis causae Ven. Servae Dei sua manu signavit: initi mox Apostolici fuere processus quorum validitate comprobata de heroico virtutum gradu disceptari coeptum est penes SS. RR. Congregationem; primum in antepreparatorio Conventu in aedibus cl. m. Cardinalis Caietani Aloisi-Masella Causae Relatoris quinto cal. Martias anno MCMII; deinde in praepreparatoriis Comitibus ad Vaticanum habitis decimotertio cal. Februariis volventis anni; ac denique in generalibus coram Sanctissimo D. N. LEONE PAPA XIII in Aedibus Vaticanis quarto idus Maias eiusdem anni coactis, in quibus cum a Reverendissimo Cardinali Dominico Ferrata Causae Relatore dubium fuisset propositum: „*An constet de Virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et Proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis* Ven. Servae Dei MARIAE MAGDALENAE POSTEL *in gradu heroico in casu et ad effectum*

de quo agitur?“ Reverendissimi PP. Cardinales SS. tuendis Ritibus praepositi et Patres Consultores suam ordine sententiam aperuere. Quibus perpensis Beatissimus Pater quamvis suspersedendum censuit, adstantes hortatus ut caeleste lumen ad rite iudicandum efflagitarent, his tamen verbis Conventum dimisit: „*Altrice heroum Galliam quae hanc Ven. Dei Famulam MARIAE MAGDALENAM POSTEL feliciter edidit terris, feliciter eduxit caelo, hodie commemorare licuit. Conventus enim hodiernus amplissimum consultoribus Vobisque campum aperuit ad testandam virtutum eius insignem Excellentiam. Vestris sententiis decretorii Nostri iudicii confirmationem accessuram. Dei numine adspirante, quantocius confidimus. Id unum optandum sperandumque restat ut Galliam suam Ven. MARIA MAGDALENA benigne respiciat; et cui vivens per calamitosa tempora largam misericordiae opem attulit, eidem eheu! asperrimae religionem procellae fluctibus exagitatae valida apud Deum deprecatione succurrat.*“

Hodierna vero die, qua sollemnia recoluntur ob adventum Spiritus Sancti, idem Sanctissimus Dominus sacris in privato Sacello, nobiliorem hanc aulam Vaticanae Aedis ingressus est, et pontificio Solio assidens Reverendissimos Cardinales arcessivit Seraphinum Cretoni SS. Rituum Congregationi Praefectum, et Dominicum Ferrata Causae Relatorem, itemque R. P. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem et me infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus sollemniter pronuntiavit: „*Ita constare de Virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis* Ven. Servae Dei MARIAE MAGDALENAE POSTEL *in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, ut procedi possit ad ulteriora, idest ad quatuor miraculorum discussionem.*“

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri iussit, pridie Cal. Iunias anno MCMIII.

Seraphinus Card. Cretoni,

S. R. C. Praefectus.

L. † S.

† **Diomedes Panici,** Archiep. Laodicen.,

S. R. C. Secretarius.

Indultum celebrandi missam votivam SS. Cordis Iesu prima feria VI. cuiusque mensis.

In Ecclesiis et oratoriis, ubi feria VI. quae prima unoquoque in mense occurrit, peculiare pietatis exercitationes in hon. div. Cordis approbante loci Ordinario mane peraguntur, Leo P. P. XIII. decreto Urbis et Orbis d. d.

28. Iun. 1889, Nr. 3712, indulget, ut huiusmodi piis exercitationibus addi valeat Missa vot. S. S. Cordis Iesu.

Haec missa vot. celebranda est cum Gloria et Credo et unica oratione (S. R. C. 20. Maii 1890, Nr. 3731),

sive cantatur, sive legitur (S. R. C. 20. Maii 1892, Nr. 3773), et omittenda sunt Alleluja extra tempus pasch. ad Introitum, Offert. et Commun. (S. R. C. 6 febr. 1892, Nr. 3764 et Ind.)

Missa haec votiva celebrari potest etiam, si in illam fer. VI. quae prima in mense occurrit, incidat festum de praecepto; non tamen (iuxta decretum 28. Iunii 1889), si in illam diem incidat:

a) festum aliquod Domini; ideoque celebrari non potest in feriis Quadrag., quando Missa est de aliquo Mysterio seu Instrumento Passionis Domini; neque in feria VI infra Octav. Corp. Christi, quando Officium fit de die occurrente infra octavam, nec in festo Purificationis B. M. V., quia mysterium eiusdem

aequiparatur festo Domini. (S. R. C. 27. Mart. 1902.)

b) festum I-mae classis.

c) feria, vigilia, octava ex privilegiatis (scil. feria VI. in Parasceve, Vigilia Epiphaniae, integrae octavae Epiph. Pasch. et Pentec.)

d) dies, quo fit Comm. omnium Fidel. def. (S. R. C. 10. Maii 1895, Nr. 3855.)

e) nec admittitur, si in respectiva Ecclesia unicus tantum adest sacerdos, qui applicare tenetur pro populo, vel qui missam conventualem celebrare debet officio convenientem. (S. R. C. 27. Mart. 1902.)

Nulla comm. feriae adiungenda est in Adventu, Quadrag. et fer. VI. Quat. temp. et in fine Missae semper dicitur Evang. s. Ioannis.

54.

Indictio Indulgentiae plenariae a Sanctissimo Patre Leone Papa XIII. occasione celebrationis tertiae Synodi dioecesanae Lavantinae gratiosissime concessae.

Libellus supplex

Summo Pontifici Leoni, divina providentia Papae XIII., missus pro obtinenda facultate, plenariam concedendi Indulgentiam pastoribus et oviculis, nec non pro impetranda permissione, opus synodale dandi, donandi ac dedicandi felici recordationi argentei ut vocatur Pontificii Iubilaei, quod Sanctissimus Dominus noster Leo XIII. laeta die 3. mensis Martii 1903 toto orbe christiano applaudente sollemnissime celebravit.

I.

Eminentissime ac Reverendissime Domine Cardinalis!

Mi Observandissime!

Mei muneris est, ut Eminentiae Vestrae Reverendissimae pro singulari solertia, mihi omni tempore quidem at nuper potissimum occasione celebrationis gloriosissimi Iubilaei Pontificalis Sanctissimi Domini Nostri Leonis XIII. aestimantissimis Litteris rescriptis *Eximium gratulationis officium* de die XXI. mensis Martii anni volventis Nr. 76.055 exhibita quas par est reddam grates summas et intimas.

Praesentibus vero novam praestolor ab Eminentissima Dominatione Vestra gratiam, ut nempe adnexas Litteras supplices Sanctitati Suae substernere dignetur, apposita commendatione gravi et intercessione potenti.

Excipiat, quaeso, Eminentia Vestra Colendissima singularis venerationis et observantiae sensa, quibus, dum Eminentissimo Domino fausta omnia a Domino adprecor, persisto devotissimus et addictissimus servus

† Michael,

Episcopus Lavantinus.

Marburgi, Kalendis Maiis, 1903.

Eminentissimo Domino Mariano Card. Rampolla del Tindaro, Status Secretario. Romae. Vaticano.

II.

Beatissime Pater!

Pastoralis mei memor officii anno salutis 1896 primam et anno sacro 1900 secundam Deo favente celebravi Synodum dioecesanam.

Prioris conventus synodalis gesta et statuta typis excusa in audientia privata, auspici die 13. mensis Maii 1897 clementer mihi concessa, Sanctitati Vestrae humiliter obtuli. Alterius congressus synodalis actiones et constitutiones in audientia, memoriali die 8. mensis Octobris 1901 mihi benigne praestita, ad thronum Sanctitatis Vestrae reverenter ac obedenter detuli.

Impraesentiarum iterum mihi in votis est et tum clero tum populo mihi credito utile ac necessarium esse censeo, a vespere diei 24. usque ad diem 28. mensis Augusti anni dilabentis tertiam Synodum dioecesanam in ecclesia seminarii clericorum beato Aloysio dedicata quo sollemniori modo celebrare in maiorem Dei gloriam animarumque immortalium salutem.

Ut vero opus tam sacrum quam arduum maiori cum animarum fructu perficiatur, enixe exoro, ut Sanctitas Vestra mihi clementer committere dignetur facultatem, Indulgentiam plenariam concedendi, uti moris est in congregata Synodo dioecesana, iis omnibus, qui rite perceptis Poenitentiae et Eucharistiae sacramentis, vel Ecclesiam s. Ioannis Bapt. cathedralem, vel Templum beatissimae Virginis Mariae, Matris misericordiae, vel vero Sanctuarium beati Aloysii, durante sollemnitate synodali, visitabunt ibique iuxta Sanctitatis Vestrae mentem pias Deo preces effundent.

Comitia synodalia, in quibus Deo duce et auspice ecclesiasticam disciplinam restituere, in Clero scientiae et

pietatis studium promovere populique Lavantini mores restaurare cupio, consecranda esse ardentem desidero recordandae memoriae argentei ut vocatur Iubilaei Pontificii Sanctitatis Vestrae.

Adeo ergo cum fiducia ad Sanctam Sedem Apostolicam, ut misericordiam consequar et gratiam inveniam in auxilio opportuno. Oro supplex et acclinis, ut Sanctitas Vestra convocandae Synodi dioecesanæ opus acceptum habeat uti signum filialis nostrae pietatis et profundae venerationis ac exactae obedientiae.

Vovemus et iuramus, nos dioecesis Lavantinae pastores et greges catholicae fidei veritatem impavide professuros et Sedi Apostolicae totis viribus adhaesuros esse.

Quo autem efficacius pium opus perficere valeam, pro me et meo Clero et universo populo Lavantino instanter imploro Benedictionem Apostolicam, ad pedes prostratus

Sanctitatis Vestrae

humillimus, devotissimus ac obedientissimus famulus et filius

† Michael,

Episcopus Lavantinus.

Marburgi, in Festo sanctorum Philippi et Iacobi apostolorum, Kalendis Maiis 1903.

III.

Responsum.

Relate ad prostantes litteras supplices responsum rogatori redditum est die 15. mensis Maii 1903, quo erat scriptum:

Nr. 77.237.

Illustrissime et Reverendissime Domine!

Quae de tertia dioecesanæ Synodo, mox celebranda, ad Beatissimum Patrem scribebas, ea quidem Illius animum iucundissime affecerunt. Probant haec enim constanti te efficacique studio in bonum commissi gregis incumbere, nec susceptos in antecessum labores caruisse fructu. Quare, ut hac quoque vice, tibi cogendaeque synodo optime cedat Sanctitas Sua libenter admodum facultatem tibi facit Indulgentiam plenariam in ipsius synodi exordio concedendi, iis conditionibus, quas tu ipsemet indicasti.

Faustissima quaeque tibi a Domino adprecatus singulari animi existimatione me profiteor Amplitudini Tuae Romae, 15. Maii 1903.

Addictissimum

M. Card. Rampolla.

Reverendissimo Domino

Michaeli Napotnik,

Episcopo Lavantinensi.

55.

Decretum S. R. C. de Litaniis Lauretanis adiiciendo praeconio „Mater boni consilii, ora pro nobis.“

Urbis et Orbis.

Ex quo Beatissima Virgo Maria Spiritus Sancti gratia plena Eiusque luminis splendore illustrata, aeternum Dei consilium atque incarnati Verbi mysterium omnimentis et cordis obsequio atque affectu suscepit, Dei genitrix effecta, etiam Mater boni consilii meruit appellari. Insuper divinae sapientiae eloquiis instructa, ea vitae verba, quae a Filio suo acceperat et in corde servaverat, in proximos liberaliter effundebat. Neque solum in nuptiis Canae Galileae huius novae Rebeccae consiliis acquievere ministri; sed et pias mulieres aliosque Domini discipulos atque ipsos sanctos Apostolos eam audisse consiliatricem credere fas est. Quam praerogativam Deiparae Virgini agnitam et confirmatam fuisse deprehendimus, cum Iesus prope moriturus videns iuxta crucem matrem et discipulum stantem quem diligebat, dixit matri suae: *Mulier, ecce filius tuus*. Deinde dixit discipulo: *Ecce mater tua*. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Ioannem autem omnes Christifideles tunc repraesentasse ab Ecclesiae Patribus traditum est. Item approbante Apostolica Sede, ab antiquis temporibus tum a clero tum a populo christiano, opem simul implorante, ipsa Beatissima Virgo glorioso

titulo *Mater boni consilii* consalutata est. Sanctissimus vero Dominus Noster Leo Papa XIII. ob suam et Fidelium singularem pietatem erga Matrem boni consilii sacramque eius Imaginem, quae in Sanctuario Genestani praecipue colitur, postquam per decreta Sacrorum Rituum Congregationis anno 1884 novum Officium cum Missa pro die Festo approbaverit, et anno 1893 etiam scapulare proprium cum Indulgentiis concesserit; hoc vertente anno 1903 ipsum Sanctuarium, antea novis aedibus hospitalibus suo aere ampliatur, ad Basilicae Minoris gradum et dignitatem cum omnibus iuribus et privilegiis, per Apostolicas Litteras in forma *Brevis* erexit. Tandem idem Sanctissimus Dominus noster, quo ipsimet Beatae Mariae Virgini enunciatus titulus maiori honore et cultu augeatur, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, infrascripto Cardinali Praefecto et Relatore statuit et decrevit, *ut Litaniis Lauretanis post praeconium: Mater Admirabilis, adiiciatur alterum Mater boni consilii, ora pro nobis*; hac quoque cogitatione et firma spe permotus, ut, in tot tantisque calamitatibus et tenebris, pia Mater, quae a sanctis Patribus *coelestium gratiarum thesauraria et consiliatrix universalis* vocatur, per totum catholicum orbem sub eo titulo rogata, omnibus monstret se esse matrem boni con-

sillii, et illam Spiritus Sancti gratiam, quae sensus et corda illuminat, seu sanctum consilii donum sit impetratura.

Contrariis non obstantibus quibuscumque die 22 Ap. 1903.

L. † S.

Seraphinus Card. Cretoni,

S. R. C. Praefectus.

† **Diomedes Panici,** Archiep. Laodicen.,

S. R. C. Secretarius.

Zusolge dieses Dekretes ist von nun an in der Laurentianischen Litanei nach der Anrufung „Du wunderbare Mutter“ beziehungsweise „Mati prečudežna“ anzufügen der Ruf „Du Mutter des guten Rates, bitte für uns“, beziehungsweise „Mati dobrega svéta, prosi za nas“.

56.

Verordnung des Ministers für Kultus und Unterricht vom 8. April 1903,

durch welche für die theologischen Fakultäten der k. k. Universitäten in Wien, Prag, Graz, Innsbruck, Krakau und Lemberg sowie die k. k. theologischen Fakultäten in Olmütz und Salzburg bezüglich der Erlangung des theologischen Doktorates neue Bestimmungen erlassen werden.

Vom hohen k. k. Ministerium für Kultus und Unterricht ist unter dem 8. April 1903, Bl. 10.631, nachstehendes Schreiben anher gelangt:

„Ich beehre mich dem Ordinariate im Anschlusse ein Exemplar der auf Grund Allerhöchster Entschliebung vom 1. April 1903 erlassenen und gleichzeitig im Reichsgesetzblatte kundgemachten hierortigen Verordnung vom 8. April 1903, Bl. 10.631, betreffend die Erlassung neuer Bestimmungen behufs Erlangung des theologischen Doktorates an den katholisch-theologischen Fakultäten zur gefälligen Kenntnissnahme zu übermitteln.

Der Minister für Kultus und Unterricht:

Sartel m. p.“

Die im Schreiben angezogene Verordnung hat folgenden Wortlaut:

Auf Grund der mit allerhöchster Entschliebung vom 1. April 1903 erhaltenen Ermächtigung erlasse ich für die obengenannten katholisch-theologischen Fakultäten bezüglich der Erlangung des theologischen Doktorates die nachfolgenden Bestimmungen:

§ 1. Zur Erlangung des Doktorates der katholischen Theologie ist die Vorlage einer wissenschaftlichen Abhandlung und die Ablegung von drei strengen Prüfungen (Rigoroſen) erforderlich.

Zweck dieser Prüfungen ist, festzustellen, ob und in welchem Grade eine gründliche Kenntniss der theologischen Hauptfächer und die Befähigung zu wissenschaftlicher Forschung erreicht wurde.

Sie umfassen daher folgende Fachgruppen:

- a) die spekulative und positive Dogmatik mit Apologetik;
- b) die biblischen Fächer;
- c) Kirchengeschichte und Kirchenrecht;
- d) Moral- und Pastoraltheologie.

Die Zulassung zu diesen Prüfungen ist von dem Nachweise abhängig, daß der Kandidat die theologischen Studien als ordentlicher Hörer an einer theologischen Fakultät ordnungs-

mäßig absolviert hat und der Vorschrift des zweiten, beziehungsweise dritten Absatzes des § 5 dieser Verordnung nachgekommen ist.

Die ausnahmsweise Zulassung solcher Kandidaten, welche diesen Nachweis nicht zu liefern vermögen, kann auf Antrag des betreffenden Professorenkollegiums von dem Unterrichtsminister bewilligt werden.

Den Zöglingen des Pazmaneums in Wien bleibt die Ablegung des Rigoroſums aus dem Bibelstudium im vierten Jahrgange des theologischen Studiums wie bisher gestattet; sie haben jedoch vor Zulassung zu dem nächsten Rigoroſum die vorgeschriebene wissenschaftliche Abhandlung vorzulegen.

Kandidaten, welche die theologischen Studien an einer gesetzmäßig organisierten Diözesan- oder Klosterlehranstalt absolviert haben, können an einer Universität oder theologischen Fakultät nach vorläufiger Immatrikulation zu den strengen Prüfungen zur Erlangung des Doktorgrades zugelassen werden, wenn sie in das Studium der Theologie auf Grundlage eines staatsgiltigen Maturitätszeugnisses aufgenommen worden sind.

Wenn ein Kandidat an einer theologischen Fakultät bereits immatrikuliert war, ist eine neue Immatrikulation an jener Fakultät, an welcher er die Rigoroſen abzulegen beabsichtigt, nicht mehr erforderlich.

§ 2. Die geschriebene oder gedruckte Abhandlung hat mindestens drei Druckbogen zu umfassen und muß, da die Fachgruppe der Dogmatik mit Apologetik stets der mündlichen Prüfung vorbehalten bleibt, eine wissenschaftliche Untersuchung über ein freigesähltes, vom Defane nach Einvernahme der betreffenden Fachprofessoren bestätigtes, eventuell näher bestimmtes Thema aus einer der im § 1 genannten Fachgruppen b), c) und d) enthalten.

Das Thema ist in der Regel so zu wählen oder zu formulieren, daß die Abhandlung die Vertrautheit des Kandidaten mit der ganzen Fachgruppe, der es entnommen ist, oder wenigstens mit einem Hauptgegenstande derselben erweisen kann.

§ 3. Die vorgelegte Abhandlung wird von dem Dekane zwei Referenten zur Begutachtung zugewiesen und zwar den ordentlichen Professoren und in deren Ermanglung den außerordentlichen Professoren des betreffenden Faches. Eventuell kann der zweite Referent ein ordentlicher oder außerordentlicher Professor jenes Faches sein, dem die Abhandlung nach ihrem Inhalte zunächst steht.

Der Dekan bestimmt für die Prüfung des wissenschaftlichen Wertes der Abhandlung einen entsprechenden Zeitraum.

